



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suaui Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt XVIII. Vergerius in Germaniam Nuntius. Eius colloquia cum Principibus tam Catholicis quàm Protestantibus, & cum ipso Luthero. Et quaenam responsa reddita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11642**

eum suam progeniem, quæcumque ea sit, ad Principatum non prouehunt, *virtutem exerceri supra modum humane nature.* Proinde qui ob hanc humanæ conditionis labem Pontifices vituperat, inesse Diuinum quiddam in Pontificatu fatetur. Ceterum nonnulli in Paulo ex humana imbecillitate lapsus, quos in Principatus illius initio expandit Suauis, vt infamix afflatus veluti prodromus animos paret secuturis obtrectationibus, quadraginta iam annis præcesserant ipsius electionem, & antequam Purpurâ claresceret, ac per eam temporum licentiam, quorum memoria non sine horrore ac vituperatione repetitur. Postea verò tam decorè, tam integre vitam instituit, vt in omni Pontificatu inter summos habitus fuerit; in tribus Pontificiis Comitibus, inter Solio proximos; in postrema verò electione, sine competitore in eodem Solio collocatus. Quod non nisi præcella virtus consequi potest: non semper quidem concordia omnium voluntate conscenditur; at sine illa numquam. Quicumque rerum publicarum notitiam delibauit, satis nouit, administrationem Pauli extitisse Pontificiæ prudentiæ præclarum exemplar. Ex iis quos Vaticani Patres creauit, quatuor continenti successione per annos duodeviginti primam Sedem tenere; & præter eos primaria illius ætatis capita, virtute ac doctrinâ in supremo Senatu ab eo constituta, vt duo iam laudati Rossensis & Scombergius, vt Contarenus, Sadoletus, Polus, Bembus, Alexander, Moronus, Bellayus, Guidiccionus, Parisius, Truxius, & Carolus Lotharingus. Enimuerò acerbior in Paulum se habuit Suauis, quàm eius tempestatis hæretici; de quibus Vergerius Nuntius pluribus in literis à me inspectis narrat, in existimatione singulari apud eos fuisse tanti Pontificis probitatem ac merita; vt mox constabit, cum planè oportunitas instet enarranti huius Nuntij electionem ac iter.

## C A P V T XVIII.

*Vergerius in Germaniam Nuntius. Eius colloquia cum Principibus tam Catholicis quàm Protestantibus, & cum ipso Lutero. Et quenam responsa reddita.*

**P**ontifex itaque, quò penitiùs Germaniæ statum exploraret, Romam acciuit Petrum Paulum Vergerium Iustinopolitanum, qui apud Regem Romanorùm Clementis nomine Nuntium agebat. Ab eo cognouit, vnicum exasperatis Germanorum

Pp 2 rum



1535. rum animis mitigandis lenimen fore, si Pontifex promptum omnino procliuemque animum patefaceret ad Concilium celebrandum, absque vlla cuiusvis obstaculi mentione; illudque rei ipsa, quocumque tandem modo conuocaret. Illi siquidem Nationi, discordiis intestinis defatigatæ, nullam quietis aliunde spem affulgere: adeoque hostis loco eum ducere, qui Concilij conuocationem reuocaret in dubium; seruatoris, qui eam polliceretur. Prætereaque sibi persuadebat, per errorem vulgo frequentissimum, à sola Pontificis voluntate Synodi congregationem re ipsa pendere. Eam igitur agendi rationem secutus Paulus, Vergerium ipsum in Germaniam legauit, tamquam ingeniorum, quibuscum agendum erat, expertum, & auctorem Concilij à se promouendi. Tradidit eidem Diplomata ad cunctos Principes seu Catholicos seu Protestantas, charitatis quàm dignitatis studiosior. Iniunxit, vt vnice locum cogendo Concilio statuendum curaret; quæ conditio minime poterat in incerto relinqui: de reliquis verò conditionibus taceret, quò obices omnes amoliretur; re postea inceptâ, cetera facilius componi posse. Quod consiliam eeu periculo proximum improbare licebat, nisi grauiissimis pariter malis remedia quoque periculi plena prudenter adhiberentur. Quin deinde monuit Pontificem Nuntius, vt consiliam de non agitandis in futuro Concilio priorum definitionibus, vel ipsos Oratores Cæsareos ab eo celebratur: secus enim, cum illi ad Cæsarem scriberent (in cuius Concilio Lutherani aderant, suam factionem de singulis admonentes) ad primos eius rei Nuntios tumultuatos Protestantes, ac promissa Concilij negotium euanesceret; quod ipsum à Cardinali Leodiensi postea significatum, cuius sententia erat, perniciosum quidem, sed tamen necessarium fore Concilium. Pro Sede Concilij Mantua proposita: cui, vt alibi diximus, Cæsar consenserat, adueniente Germaniâ, cum de iis ibi Episcopus Dertonenfis egerat; & quæ vrbs tum clientelâ, tum propinquitate Germaniæ, ceteris rationibus minùs fortasse opportuna videri poterat.

Litteræ Vergerij 12. & 24. Septembris, quæ sunt in Volumine Biblioth. Vatic.

\* 17. Maij  
ann. 1535.

Quæ fuerint tradita Vergerio mandata ad ea conficienda, ex eadem epistola liquidò constat: \* sic enim ad Ambrosium Recalcatum, qui erat à Secretis Pontifici, scribit: *Duabus de causis me Pontifex in Germaniam legauit pro Concilij negotio; altera nimirum vt dissuaderem, ne quis hoc anno Conuentus habeatur, per quem forsitan peccatoris Nationis Synodus celebretur, vti minabantur: altera, vt re ipsa Concilium Oecumenicum conuocaretur.* Neque quisquam putet, hæc ab eo scripta timoris impulsu, ne literæ interciperentur: altera enim epistola



stola \* arcanis notis scripta hæc profert initio: *Mihi planè liquet, Paulum verè integerrimum sanctumq; Pontificem eo me animo delegasse, ut non solum motus, qui timebantur, sopirem; sed ut Germanorum animos ad ipsum Concilium sincerè veraciterq; pararem.*

1535  
19. Augu-  
sti an. 1535.

3 Anxius erat, nec temerè, de eo Conuentu Paulus. Nam hinc Germaniæ Principes significabant, se nihil certi respondere posse, nisi simul coirent: hinc cœtus ille in peculiare Concilium abire poterat, ex vno constatum corpore, cuius magna pars corrupta integræ parti admiscebatur. At verò in Oecumenica Synodo, ceteras omnes nationes complexura, pars tabida, præ incorrupta, modica sanè fuisset.

4 Optimam de Pontifice opinionem vel in hæreticis nactus est Nuntius, non modò in ea quæ præcesserat illius virtutis famam, sed in gemina illa agendi ratione sub Pontificatus initia, cuius meminimus; hoc est, in Concilio efficaciter procurando, & se in Christianos Principes æquè propenso præstando. De loco, Catholici Principes ferè omnes, excepto Palatino Septemuiro, nihil opponebant Italiæ ac Mantuæ; tantummodò consensum Cæsaris postulabant. Hic verò Africano tunc bello distractus, ac de Gallico ac Britannico sollicitus, nondum animi sui sensa patefecerat, ob causam mox exponendam. In Catholicorum de loco sententiam venit paulò post Georgius Brandeburgicus, primarius Lutheranorum fautor, tametsi duos Catholicos Septemuiros Patruos, ut alibi vidimus, haberet. Qui \* non solum Vergerium excepit honorum officiis, cuiuscumque summo viro consentaneis; sed in responso ad Pontificem, eum *Dominum clementissimum* appellauit, adiecitque alias obsequij formulas, Principibus hæreticis insuetas.

In isdem ac ceteris Literis.

Literæ Vergerij arcanis notis scriptæ: 23. Iulij. 1535.  
\* Literæ Vergerij: 7. & 19. Augusti.

5 Interim de Cæsaris in Africa victoria per Germaniam fama percrebuit, Goletà ac Tuneto feliciter expugnatis; quæ summoperè negotium promouit. Etenim antehac indigens Cæsar potentium Germaniæ opum, & conscius occultæ inuidentiæ multorum ibi Principum Austriacæ stirpis incrementis, non modò verebatur, ne ab illis desereretur, sed etiam ne captâ externarum expeditionum opportunitate, domi cuniculus ab iisdem ageretur. Hinc adnuebatur illos sibi beneuolos præstare, atque ab omni suspitione dimouere, quâ opinarentur, sibi esse in animo ipsos per vim ad veterem Religionem adigere. Proinde supremum Cæsareæ Domus Præfectum, Adrianum Crozum ad eos miserat, qui contraria testaretur. Adeoque ex vna parte cupiebat quidem, ut Concilium, à Germanis summoperè expetitum, promitteretur; ex altera verò nolebat.



3535. vllam ex Italia Urbibus ad id probare, nisi satis explorata prius illorum voluntate, qui in aliis Conuentibus semper efflagitauerant urbem Germaniæ. Quare, dum aliqui ex Germanis Principibus, quamquam alioqui consensurus esset Cæsar, reluctarentur illius celebrationi in quouis Italia loco, causati, non licere Cæsari Comiti-  
 \* Licetæ  
 26. Augusti.  
 tiorum decreta negligere; ceteri verò, tametsi propitij, non aliter consentirent, quam Cæsare comprobante; atque hic sententiam suam promere non auderet, nisi Germanorum consensus præcessisset; videbatur nouus Conuentus euitari non posse, quo decreta prioris abrogarentur. Verùm ea victoria Cæsari timorem minuit, Germaniæ auxit. Nihilominus cum ingeniis adeò de sua libertate sollicitis ita Nuntio agendum erat, vt simul minimè imperiose remgereret, simul auctoritatem Pontificis sustineret, quam deprimere conabantur hæretici. Is itaque sic sermonem ea de re cum illis temperabat: \* Cum liceret Pontifici Concilium vbiicumque censuisset indicere; tamen ex paterna beneuolentia, ac singulari illius egræ nationis existimatione, velle prius eorum consensum deposcere.

Ex maximo  
 proliza Ver-  
 gerij epi-  
 stola 11.  
 Nouenbris.

Incommodè sanè tunc incidit Iochimi Septemviri Brandeburgi-  
 gici mors. Duo enim ab eo liberi relictæ ad sectam Lutheranam propendebant matris operâ, quæ Christierni Dania Regis soror, illius hæresis virus tam altè hauserat, vt cum illius vsus à matre fuisset ipsi interdictus, ab illo ad Saxonem suum consanguineum profugerit. Tentatum igitur, quâ Moguntini eorum patri auctoritate, quâ Nuntij studiosis officiis, ne in apertam hæresis professionem, adeò Catholicis perniciosam, erumperent. At Nuntius, quò possit cum iis agere Berolini degentibus, coactus est per Saxonis ditionem iter facere. Quapropter necessarium duxit, in aperto haud pernoctare, ne rusticis hæreticis insanè furentibus præda foret, sed in tuto personam quam gerebat collocare. Itaque ab eo petit, qui Wittembergæ absentis tunc Ducis vices obtinebat, vt isthac sibi tuto transire liceret. Hic maiori quàm à Catholico sperari potuisset obsequio, Primorum quosdam è suis misit viarum duces; vetuitque cauponibus, ne quidquam ab eo pretij caperent. Postea illi processit obuiam cum equitatu Nobilium: ex equo cum salutaturus desiliit: in ipsas ædes Principis illum deduxit, voluntique mensæ assidenti ipsemet ministrare. Ceterùm de Pontifice frõdenter atque honorificè cum eo locutus, dixit ab eo Pontifice verè Synodum expeti, à qua decessores refugerant; adeoque eumdem in ea procella Iridem salutarem futurum.

Die postero, cum ientaculum Nuntius manè prægustaret iter facturus,



Æurus, ad obsequium regressus idem Saxonis Vicarius, adduxit vnà Lutherum, & Ioannem Bugenagium Pomeranum. Erat hic insignis apud hæreticos; qui ex auctoritate Lutheri, ac Wittembergensis Academiae, Sacerdotes Sacris initiabat; obtentâ sacrilegij irritique ministerij excusatione, quòd Lutherani adigerentur ad ea, cum Episcopi recusarent eos Sacris admouere.

8 Hoc inter Nuntium ac Lutherum colloquium pluribus sanè mendacijs peruertitur à Suauì, quàm Troiæ bellum ab Homero, cum illud depingat velut indecorum Pontifici, quasi eius iussu quaesitum, & à Nuntio assentationibus promissisque viliter affusis, & imprudentiâ sensisque parum religiosis deturpatum: ex altera vero parte gloriosum Martino, sententiarum pietate, responsionum sapientiâ, magnanimitate repulsarum. Operapretium erit illud hic in summam redigere ex prolixis Vergerij literis, ea de re scriptis Recalcato, qui erat à Secretis Pontifici.

9 Qui Saxonis locum tenebat, duos illos adduxit, dixitque (Vergerij verba transcribo) *Absentibus Principe, aliisque literatis viris, Wittembergensi Academiae interesse solitis, in Thuringiam pestilentia causa translata, alios sibi non suppetere, qui mecum cognita mihi lingua colloquerentur; proinde inter ientandum illis aures praberem, qui sapientes illic habebantur. Non potui sanè, cum in huiusmodi versarer loco, non assentiri: ac Martinum, eius socium audiui ad finem usque ientaculi, & dum famuli equos conscenderent. De Luthero deinde tam contemptim loquitur, quàm ex sequenti earumdem literarum particula palàm fit. Latine, inquit, adeò inepte loquitur, vt certum mihi videatur, aliquot libros eius nomine vulgatos, qui nonnihil latinitatis & eloquentiæ redolent, Luthero tribui minime debere. Et paulò post: Hanc solam urbanitatem exhibuit, quòd capite detecto mecum loquebatur, & quaedam protulit in laudem Pontificis: audiuisse se, illum prudentem ac probum esse, iam tum cum Romæ aderat, quo tempore (subridens bestia subdidit) multa Missarum sacrificia peregi. Atque vti confestim quid de eo sentiam expromam; ductâ coniecturâ ex vultu, habitu, gestu ac verbis, siue malo demone sit correptus necne, cerè ipsamet arrogantia, malignitas & imprudentia totus est. Euius deinde descriptis indumenti varietate, vilitate in agendo, morumque licentiâ, subiungit: Primum quod protulit, me taciturnum conspicatus, fuit, an quidquam in Italia de ipso audiuissem, eum esse ebriosum Germanum. Multas præterea hominis ineptias enarrat, quem numquam præ se tulisse quidquam prudentiæ dicit, nisi semel, cum habitâ de Rege Britannia mentione, sibi temperauit, ne ea damnabitur comprobaretur, quibus Princeps ille immaniter saeuierat in viros.*



1535. ros probos; quamquam à Vergerio interrogationibus super eâ re compellaretur. Tantum quoque abfuit, vt Nuntius illi laudes, ac promissa blandius aut abiectè indulserit (quod vtrique fingit Suauis) vt è contrario scribat: *Equidem magno cum cruciatu loquentem eundem; nec vquam respondere volui præter pauca verba, ne truncus viderer.* Postremum ait, cum de Concilio sermo incidisset, Martinum in rabiem actum dixisse: *Veniam in Concilium: & me capite dimissum volo, nisi meas opiniones defendero aduersus vniuersi mundi homines. Non est ira mea, sed ira Dei.*

Hæc fuit summa congressus. Neque sanè suspicari licet, ne fortè Nuntius in re ad Pontificem scribenda profusus à veritate deheerit: quod sanè effecisset, si Suauis narratio vera foret. Vult siquidem Suauis, à Vergerio ea promissa atque illicia ex præscripto Pontificis adhibita, adeoque non celauisse postea suum Principem, quæ illo præcipiente peregerat: præterquam quod ij sermones coram pluribus habiti ientante Nuntio, Pontificem aliunde latere minimè potuissent.

Supererat Vergerio, Lutheranorum Principum responsionem accipere. Ea verò fuit huiusmodi, quæ palàm fecit, haud illis posse per oblatum Concilium satisfieri. Nam Smalcaldæ coacti scriptum omnium nomine Nuntio reddidere, quo non solum Romanos Pontifices, Romanumque Pontificatum proscindebant contumeliosis nominibus tyrannidis in occupata iurisdictione aliena, sacrilegij in deprauata Religione, insidiarum in re dolosè proponenda, sed repudiabant inprimis Concilium in Italia. Vt autem repulsum colorarent, ibant obuiam iis quæ obiecta fuerant de Germania, tamquam intuta ceteris regione, propter sectarum ibi tumultuantium contentiones; asserentes, in ea potiùs regione cunctis libertatem præberi, iusto ac moderato Cæsaris Imperio subiecta. Perinde quasi nec notæ nec recentes forent innumerabiles iniuriæ, illarum per eas Prouincias Ecclesiasticas, è quibus tandem Concilium erat

\*In Mandatis rerum quæ erant Cæsari proponenda post Conuentum Norimbergensem, in Volumen Archiuij Vaticanij inscripto, Ex Adis Synodicalibus.

constandum; adeò vt ne Ferdinandi quidem, qui Cæsaris locum tenebat, nec aliorum Principum auctoritas efficere potuerit, vt Legatus Campeggius Purpurati habitu Norimbergam Comitiorum gratiâ tutus ingrederetur: quin ægrè prohiberi potuerit, ne eidem Augustam transeunti obuiam non occurrerent centum pueri tetri dæmonis specie laruati, raptantes ad ludibrium hominem Purpurati habitu personatum. Causabantur præterea priora exempla Conciliorum (ad Constantiense scilicet alludentes, in quo Ioannes Hussus igni traditus) quibus docebantur, ne concessi



cessa quidem quacumque fide publicâ, in Italiam irent, in cuius urbibus vniuersis aded pollebat Pontificia potestas: & tamen Concilij negotia tanti erant ponderis, vt ea per se ipsos, non per procuratores agitari oporteret.

12 Verum hæc ratio euicisset potius, Concilium in Germania cogendum non esse; cum ibi Constantiense peractum sit, in quo Ioannes Hussus per ipsos Germanos Principes flammis addictus. Neque licet excogitare Concilium, in quo Pontifex minus possit, quam in Constantiensi; vbi omnes ij dignitate abdicati, qui sibi ius ad Pontificatum tribuerant, & Hussus sociique damnati, quo tempore Romana Sedes vacabat. Ex altera verò parte, quis tantam Pontifici potestatem in qualibet Italia vrbe tribuisset, quæ perfringenda fidei publicæ satis esset, contra tam præpotentes tantæque venerationis Principes? Nónne paulò antè vel minores Italiæ reguli cum bello petuerant? Nónne multò plus ditionis ac virium obtinebat in Italia Cæsar, quam Pontifex? Nónne Mantuæ Dux Cæsaris beneficiarius erat, locique naturâ Germanorum aggressionibus obnoxius?

13 Opponebant secundo loco; Fraudulenter à Pontifice obtegi in proponendo Concilio ea suæ sectæ incommoda, quæ ipsius Decessor per Nuntios ac diplomata professus fuerat apertius: velle nimirum ipsum Concilio præesse, ac nolle in controuersiam vocari traditiones definitionesque præcedentium Conciliorum: quorum alterum idem esse, ac se Iudicem simul ac partem constituere; alterum, inauditò damnare; vtrumque verò aduersus omne ius factum. Deduci eam Pontificis mentem ex ratione propositi à Nuntio Concilij, quâ dicebatur, Pontificis esse Concilium indicere. Nec minùs de iis capitibus præteritos Pontifices sua sensa tam priuatim quam publicè declarasse. Fraudulentum atque iniquum esse quòd à Nuntio proponebatur, re scilicet inceptâ, postea de modo concordandum. Opus esse ante omnia, iudicij formam statuere; ac postea, vt consentiant Tribunali, postulare.

14 Per hæc satis omnibus compertum fuit, propositas à Clemente condiciones non obices fuisse Concilio, sed potius notam in eo fraudis abstersisse; quandoquidem ex ea Lutheranorum responsione constat, non posse de Concilio conueniri, quin simul de forma conueniretur, quâ constituendum fuisset. Quod verò attinet ad hæc conditiones, atque huiusmodi querelarum æquitatem: si Concilium cogere non erat Pontificis, cur aded angebantur, quòd ab eo non cogereetur? Iudicis ac litigatoris simul partes

Pars I.

Q9

tes

Historia  
Concilij Tridentini  
lib. 3. Cap. 18.  
1535.



1535.

tes agere, priuatis profectò non licet: sed in Republica semper oportet supremam aliquam potestatem esse, cuius sit vel in causa propria ferre iudicium: alioquin ea suprema non esset, & infinitum abiretur, siue hic suprema præditus potestate vnus homo sit, vt in Monarchia, siue vnus Senatus, vt in Polyarchia: atque hoc quidem apud omnes in more positum. Num ipsi non intelligebant, æquè se incurfuros in incommoda ab ipsis adducta, vti Pontifex aliorum Cœtui se subdidisset? Ille namque Cœtus, iudicis ac litigatoris munus obiret in ferenda sententia super ea questione, quâ quæreretur, num eiusdem Cœtus vel corpus integrum, vel membra singula subessent Pontifici; num verò illi præstent, vel certè ab eo non penderent. Hoc posito, quænam ratio postulabat, vt hoc iudicis simul ac partis munus illi potius qui id nunquam possederat impertiretur, atque ei eriperetur, qui vel ipsi hæreticis fatentibus ipso functus erat in proximè superioribus Conciliis? Nec magis rationi consona postrema querimonia deprehenderetur, quâ quiritabantur, nolle Pontificem Ecclesiasticas traditiones, priorumque Conciliorum definitiones in controuersiam adducere. Perinde siquidem erat, eas in controuersiam vocare, atque simul fateri, Ecclesiam falli posse: quod si concederetur, quænam esset vera Scriptura diuina, quæ vera illius editio, quæ vera interpretatio? Quare ea in dubium vocare, perinde erat, ac velle in aliqua scientia disputare, sed disceptationem incipere ab in principiis, quibus ipsa tamquam fundamentis innititur, quæque ab eadem non probantur, sed pro certis ponuntur; adeoque à quis quæstionem de iis tamquam de ambiguis haberet, ambigens pariter de tota scientia, ac proinde negaret eam esse veram scientiam. Eadem ratione, cum præcipuum in Fide sit, eam esse certam, ipsam confiteri vt incertam, idem planè erit ac falsam fateri. Hinc deducitur, velle in Concilio de his articulis decertare, nihil aliud fuisse, quam eam inferre iniuriam Catholicæ Religionis, quam ipsæ sectæ suæ vociferabantur illatam; hoc est, eam falsitatis ante omnem disceptationem damnare: cum hoc tamen discrimine, quod altera per tot sæcula, per tot Concilia, tot viris doctissimis conspirantibus possessionem obtinebat, altera paucorum ingeniorum audax inuentum erat. Quin ipsa postulatio, vt per controuersias agerentur Ecclesiæ traditiones ac definitiones, duo simul contraria postulabat; vt scilicet Iudex constitueretur, simulque pro certo haberetur, eum Iudicem legitimum non esse. Quodcumque siquidem Concilium simul coactum nihil amplius habuisset auctoritatis,



1535.

tis, quàm ipsa Ecclesia; ergo idem planè fuisset illud cogi, vnaque pro certo poni, Ecclesiam falli posse, ac ipsùm cogi; simulque pro certo poni, idem quoque Concilium falli posse; adeoque non esse legitimum Iudicem Fidei; quæ falli nequeat necesse est.

15 Conspirationi Protestantium confidentiam auxerant Regum Gallia ac Britannia legationes. Hac fungebatur Edoardus Foxius, Erfordiensis Episcopus: illà Ioannes Bellayus, cuius oratio typis edita legitur apud Freherum. Anglus quidem, quò se aduersus Pontificis anathema communiret, fœdus illis obtulerat, præsertim in repudiando Concilio Mantuano, & quocumque alio, cui Pontifex præfideret, simulque in propugnando, Romani Pontificis auctoritatem supra Ecclesiam non esse Iuris Diuini, neque Christianæ Reipublicæ conducibilem. At cum in ceteris dogmatibus nec se fateri discordem vellet, nec in suo Regno turbas ciere, suumque librum damnare, pollicebatur, se Confessionem Augustanam defensurum accepto *Defensoris* titulo, prout *Fidei Defensor* appellabatur, dummodò de communi sententia nonnulli ex reliquis articulis emendarentur: proinde de hoc & reliquis ad fœdus spectantibus acturum in Britanniam mitterent cum legitima potestate Legatum. Gallus verò, cupidus in ditione Cæsaris comparandi sibi clientes, inflicta quibusdam supplicia Religionis causâ excusauit, ceu alterius sectæ asseclis, sui que Regni perturbatoribus. Suam operam obtulit ad eas controuersias componendas, fœdusque contra quoscumque vim illis eo nomine illaturos. Denique postulauit, vt vel ipsi mitterent in Galliam viros, quibuscum controuersia capita expenderentur, vel apud se cœtum haberent suæ sectæ Doctorum, ad quem suos ipse Theologos Gallia delegaret.

16 At verò Protestantes, cum animaduertent, vtrumque Regem in excludenda è suis ditionibus eorum secta persistere, solumque studere, vt umbratili quodam patrocinio eos inescarent ad suas contra Cæsarem partes in rebus Politicis; decreuerunt umbræ vmbra rependere, rebusque oblatis vti solum ad Cæsarem cohibendum, ne vim ipsis inferret. Egerunt itaque gratias Henrico, quòd ille, vt pro certo sumebant, ipsorum doctrinis assentiret; de cetero ad eum missuros quæ statuissent. Francisci Regis Legato actis gratis responderunt, se quoque contra quoscumque Regem defensuros, excepto Cæsare & Imperio. Quod autem de congressu pro controuersis Religionis habendo proponebatur, rem esse grauissimam, sibi que improuisam accidere; adeoque multorum Principum procuratoribus necessariam ad id facultatem ibi non esse,

Qq 2 esse;

Tom. 3.  
Scriptorum  
de Rebus  
Germania.

Historia  
Concilii  
Tridentini  
lib. 3.  
cap. 18.

Historia  
Concilii  
Tridentini  
lib. 3.  
cap. 18.



1535. esse, se tamen curaturos, ut illi Principes de iis fierent certiores, et communi nomine ad Regem postea responsa reddituros.

Et sanè Franciscus Gallia Rex, literis imbutus ac ingenio curiosus, sollicitabatur ad audiendos in disputatione nouæ doctrinæ propugnatores à sorore Margarita, Nauarra Regina, quæ ad ingenij plusquam muliebris ostentationem insolitæ doctrinæ nouitati favebat: unde Rex ad Melanchthonem ciendum adductus. Quæ re cognitâ, Franciscus Cardinalis Turnonius, Archiepiscopus Lugdunensis, librum manu gestans Regem adiit, interrogatusque ab eo de libri auctore, respondit, Auctorem fuisse sapientissimum in Gallia Episcopum, eundemque virorum Apostolicorum alumnus, Irenæum Polycarpi discipulum; cuius inter præcipua documenta illud erat, Catholicis nulla esse colloquia, nulla commercia cum hæreticis commiscenda. Quæ de re tam grauius differuit, ut ab eo noxio consilio Regem deflecterit.

Vide citatos à Spondano anno 1535.

## CAPVT XIX.

*Cæsaris Romam aduentus: & indictum Mantuæ Concilium.*

**V**ergerius, ut ipse suaferat, à Pontifice reuocatur, ut voce plenius distinctiusque narraret de Germaniæ statu ea, quibus explicandis semper calamus impar est. Statimque à Paulo Neapolim missus ad Cæsarem, eò regressum ex Africa, de iisdem edocendum. Inde Cæsar Romam aduenit die 5. Aprilis \* moraturque ibi est, non quatuor solùm dies, ut Iouius scribit, sed decem. Labitur quoque Suauis, dum illum in Confessu Vaticano loquentem inducit die 28. Aprilis, hoc est, decimo post eius discessum die. In Octobrem anni superioris incidere mors Francisci Sfortiæ absque liberis; adeoque Insurbria in Cæsaris potestatem redierat: quod in Francisco Rege veteres igniculos suscitauerat ad ius, quod inesse sibi in eam ditionem arbitratur, eò certè flagrantiores, quò potentiorem ex eo suum æmulum prospectabat. Quare bellum in Insurbria aduersus Cæsarem gerendum parabat; simul etiam Hariadenum, Africae cladibus irritatum, extimulabat ad Neapolitanum Regnum secum vnâ vexandum. Quod tamen fecerit nulli Francisco Regi emolumento fuit, sed plurimum eius famæ detraxit vel apud Gallos \* Historicos, Religioni magis addictis quam Nationi. Etenim Gallus, conuersis maioribus virum neruis in Belgium Gallia finitimum, eidemque olim clientelæ iure obnoxium, eas contra Cæsarem in Italia copias, quas Hariadeno promiserat,

\* Diarium Petri Pauli Gualterij, & Acta Consistorial.

\* Vide Spondanum anno 1537. num. 4. & 5.